

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0866
	0864
	0870
	0860
293	
Ascalonem, quam cum aliquibus diebus impugnasset, ea conditione cives tradere ei civitatem parati erant, si regem Jerusalem Guidonem et Magistrum templi, quos in bello ceperat, Christianis restitueret. Quae pacta Saladinus libenter amplectens recepta civitate, ut in pactis promiserat, regem Jerusalem cum Magistro templi (282 A) et omnem illorum domesticam familiam liberos abire permisit. Hac autem urbe sic obtenta Saladinus ad alias urbes et castra Christianorum se convertit et in brevi temporis spatio omnia subjugavit demitis aliquibus maritimis civitatibus, Tripoli scilicet et Tyro. Comes etiam Tripolitanus, Raymundus, proditor pessimus, nocte praecedenti, quando in die tradenda per eum fuit civitas Saladino, mortuus in lecto repertus fuit, et signa abnegationis fidei et stigmata circumcisionis suae et proditio- nis litterae omnibus sunt ostensa. Rex ergo Jerusalem Guido, perdita civitate sua sedis ad Tripolim se contulit, ibique cum suis principibus consedit. Est autem Tripolis civitas maritima in regione Phoenicis sita, fortis et antiquissima, negotiationibus apta.	0875 0855 0915 0815 0965 0765 0365

De statu civitatis sanctae Jerusalem post ejus cap- tionem, et de regibus ejus tutelaribus et diversis translocationibus tituli regni Jerosolymitani etc., et de commotione totius occidentis et succursu terrae sanctae.

Postquam igitur fuit sancta civitas Domino ita permit- tente in manibus Sarracenorum resignata et totum fere Je- rosolymitanum regnum perditum et populus christianus multi- pliciter afflictus et confusibiliter de regno ejectus et Papa Urbanus III. hoc primum audivisset, praे nimio dolore et tristitia statim in lectum decidit et mortuus est in Ferraria, ubi tunc erat. Ibi etiam sinistri rumores et lamentabiles casus universa occidentis regna concusserunt omnesque reges et principes ad vindicandum Christianorum sanguinem se accin- xerunt. Anno ergo Domini 1188. convocatum fuit generale concilium Parisiis, in quo ammirabilis et incredibilis multitudo militum ac peditum in subsidium terrae sanctae crucem accepit.

